

annis, ab anno nimirum MDCCLII, ad annum usque MDCCLVIII. inclusive, in quo idem Pontifex è vivis excessit, Eminentissim. ac Reverend. S. R. E. Cardinali Vincentio Malvetio, urbis ejusdem Archiepiscopo curante, discussi sunt. Haud repetam, quantum inde Theologie Morali adjumenti accedat, quum id satis superque studioso cuilibet hujusmodi libros pervolventi, ac diligenter excutienti, innotescat. Interim ut cœpta mea, ea qua assoles, gratia prosequaris, curamque meam perhumaniter excipias obsecro, obtestorque. *VALE.*

AN- Pp s
 illis completur, qui immediate subreptionibus
 hanc adhibere optimum visum est, que casus
 rime termin descriptos publici feci juris, Appen-
 tissime resolutis, quos elegantioribus typis nuper-
 pœdare bene re propositis, ac sapient-
 DICTI XIV. Pontificis, in ma-
 cesi de mandato Sanctissimi BENE-
 Onscientis Casibus in Bononiensi Dio-



ANNO MDCCLII.

MENSE JANUARI.

CAS. I. Titius accepit par boum Cajj, ipso inscio, & solum sciente filiofamilias ejusdem Cajj. Dum autem illis Titius uteretur, unus cecidit, & notabiliter deterior factus est. Q. an Titius teneatur reparare omne damnum, quod Cajus passus est? Respondeo cum dist. Vel filiusfamilias, quo sciente, Titius par boum accepit, de consensu Patris rem domesticam gerebat; & tunc dico, Titium non teneri ad omne damnum, neque ad partem damni, quod Cajus passus est; si debitam circa boves curam adhibuit, iisdemque usus est usu ac tempore debito, nec ullum præcessit pactum de damno reparando in omni etiam fortuito eventu. Ratio est, quia in tali casu res ita se debet, perinde ac si idem Cajus par boum ipsi commodasset; & damnum, quod Cajo evenit, eidem contigit non ex culpa Titij, sed ex mero casu fortuito, pro quo Titium non teneri patet ex cap. unico de Commod. Vel filiusfamilias, quo sciente &c. non gerebat rem domesticam de consensu Patris; & tunc subdistinguo: Vel Titius accepit par boum cum rationabili præsumptione, quod Cajus esset consentiens; puta, quia hic pluries ipsi boves commodaverat ad talem usum, seque promptum exhibuerat ad eos ipsi commodandos in simili circumstantia; vel accepit par boum sine hac rationabili præsumptione. Si primum, dico, Titium ad nihil teneri, si se gessit ut supra; ac inter ipsum & Cajum numquam adfuit pactum &c. nam etiam in hoc casu Titius non fuit in culpa ratione acceptionis, ac usus boum, neque ratione damni secuti. Non ratione acceptionis, ac usus boum, quia rationabilis præsumptio Domini consentientis eximit à culpa, *L. Inter eos §. Recte*, ff. de Furt. & colligitur ex S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 8. ad 1. Non ratione damni secuti; quia de contingentibus nihil omisit, ut hoc non accideret; quod pariter eximit juxta Gregorium IV. in cap. fin. de injur. & damn. dat. Si secundum; dico, Titium teneri reparare omne damnum Cajo, si, bobus apud hunc extantibus, tale damnum certo securum non fuisset. Ratio est; quia tunc omne damnum evenit Cajo ob injustam boum acceptionem, & usum eorumdem factum à Titio, qui per hujusmodi actiones evasit male fidei possessor, ideoque obligatus etiam in casu fortuito ad totius damni reparationem. Addidi illam particulam *certo*; in dubio enim vult De Lugo disp.

disp. 18. num. 137. Titium teneri solum pro ratione dubii, cum incertum sit an damnificaverit. At Bonacina, Tamburinus, aliique commun. docent, Titium etiam in dubio obligari ad refectionem totius damni, quia Cajus jus certum habebat ne injuste privaretur possessione rei suae; quod jus, utpote antierius ad dubium, an bos apud ipsum deterior factus fuisset? debet super-venienti dubio prevalere, ac læsum integre reparari.

CAS. II. Aquis immersus inventus est Senex, quem fama est pridie dixisse, ob inopiam se in desperationem abire, ac velle se in flumen dejicere. Q. an ei danda sit Ecclesiastica Sepultura?

Respondeo affirmative; ut enim ista privetur, debet clare, ac manifeste constare, quod ipse ex desperatione, vel iracundia semetipsum in flumen dejecerit, sibi que tali modo mortem consciverit: prout explicant Canonem *Placuit* 23. quæst. 5. & Rubricam Ritualis Romani de Exequ. DD. commun. nam in dubio Cadaver sepeliendum est in loco sacro, cum eo tunc in partem favorabilem, ac mitiorem sit inclinandum, ut ex cap. *Sacris de Sepult.* & Can. *Non æstimantes* 23. quæst. 2. cum D. Antonino tradit *Diana Op. coord. tom. 5. tract. 1. resol. 214.* Atqui in casu clare, ac manifeste non constat, Senem ex desperatione, vel iracundia se in flumen dejecisse, sibi que tali modo mortem conscivisse; fama enim est de dicto, non de facto; ergo &c. Neque dicas, dari in casu præsumptionem facti vehementem, erutam primo ex eo, quod non constet, ipsum ab alio in flumen fuisse dejectum; secundo ex deliberatione, quam pridie habuit, se in flumen dejiciendi; & sic cum præsumptio vehemens probet delictum, cap. *Afferte* 2. de Præsumpt. tenendum est, quod se in flumen dejecerit, ideoque &c. Contra enim talis præsumptio non vehemens, sed futilis dici debet; nam si non constat, senem ab alio in flumen fuisse dejectum, etiam non constat de opposito, neque quod ipse se in flumen dejecerit; idque potuit ei evenire ex casu fortuito, aut in aliqua mentis alienatione, ut cum Homobono explicat Giribaldus in 5. præc. Decal. cap. 1. dub. 8. §. 1. num. 95. Et si pridie dixit, velle se in flumen dejicere, verisimile non est, quod id asseruerit ex corde, & vera animi deliberatione, ob magnam naturæ repugnantiam, quam quisque, & maxime fidelis, habet ad sui occisionem; unde præsumptio est, quod potius id protulerit ex impatientia, aut ore tantum, eo fine, ut ipsum audientes, ipsius inopiam subleverent: prout solent quandoque facere pauperes, dicentes se velle ire ad Hæreticos, vel Turcas. Vide Navar. Cons. lib. 3. de Sepult. cons. 7.

CAS. III. Sergius uxore viduatus cupit ad Ordinem promoveri; at dubitat, se esse irregularem, eo quod certo scit, mortuam uxorem olim per vim semel fuisse ab alio cognitam. Q. an bene sit irregularis?

Resp. cum dist. Vel Sergius post vim uxori suæ ab altero illatam habuit cum ipsa maritale commercium, vel non. Si non; dico, Sergium non esse irregularem, adeoque posse ad Ordines promoveri, ut tradit Glosa in Can. *Si cujus* §. *admitti*, dist. 34. Ratio est, quia licet contraxerit, & consummaverit cum ea, quæ fuit vi oppressa, tamen id præstitit cum ab alio cognita non fuerat, sicut supponitur; ac proinde conjunctio cum eadem apta erat representare unionem singularem Christi cum Ecclesia; quamobrem etiam

etiam conjugi innocenti in Can. *Agathosa* 27. q. 2. ac alibi in jure permittitur in casu consimili divertere ab uxore adultera, & ad Ordines sacros promoveri. Si tamen Sergius, post vim uxori suæ ab altero illatam, habuit cum ea materiale commercium, dico, ipsum vere esse irregularem ob bigamiam interpretativam, prout habetur in dicto can. *Si cujus*, & can. *Si Laici* dist. 34. & ratio est, quia tunc vere se immiscuit ei, quæ ab alio jam cognita fuerat, ideoque conjunctio cum eadem inepta erat representare unionem singularem Christi cum Ecclesia; quam obrem impeditur à Sacramento Ordinis qui contraxit, & consummavit etiam ignoranter cum ab alio corrupta. Nec ad evadendam irregularitatem prodest Sergio, quod ejus uxor fuerit ab alio cognita per vim, adeoque invita, & sine culpa; cum enim hic non agatur de irregularitate ex delicto, sed ex bigamia, quæ contrahitur etiam ignoranter, & absque culpa, factum inspicitur, non voluntas; divisio carnis in plures, non culpa: & revera Sergius adhuc esset irregularis, si ejus uxor invincibiliter putans cum ipso copulari, cum alio commixta fuisset. D. Thomas. 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 4. & commun.

M E N S E F E B R U A R I I.

CAS. I. MEVIUS debet Sejo in fine anni scuta centum; ast, quia in præsens Sejus pecunia indiget, nunc illi offert scuta nonaginta, dummodo ipsi faciat acceptilationem, seu quitantiam integræ solutionis secutæ; cui necessitate compulsus se accomodat Sejus. Q. an Mevius id licite peragat?

Resp. neg. Si decem, quæ retinet, non sint in refectionem æqualis damni ipsi emergentis, aut lucri cessantis ob hanc anticipatam solutionem. Ratio est, quia secluso hoc titulo, evincitur vel mutuare 90. ut habeat centum; quod est intendere lucrum ex mutuo ratione mutui, adeoque usurarium; vel sumpta occasione ab indigentia Seji, huic solvere anticipate, ut ipsi aliquid dimitat de debito; quod ex D. Thoma opusc. 67. pariter est usurarium: *Ille*, inquit Sanctus Doctor ibid. *qui ad certum terminum debet, si ante terminum solvit, ut ei de debito aliquid dimittatur, usuram committere videtur, qua manifeste tempus solutionis pecunia vendit; unde ad restitutionem tenetur. Nec excusatur per hoc, quod solvendo ante terminum, gravatur, vel quod ad hoc ab alio inducitur; quia eadem ratione possent usurarii excusari omnes.* Neque dicas, ad instantiam Seji posse aliquem tertium, in casu, minoris emere ipsius creditum; sicque etiam Mevium posse debitum suum minoris redimere. In primis enim responderi potest, quod in primo casu creditum induit rationem mercis ultroneæ, exhibitæ à Venditore; quod non verificatur in casu nostro. Deinde ideo tertius potest &c. quia ob solutionem subest damno emergenti, vel lucro cessanti, & aliquando etiam in periculo proximo, aut valde probabili ammittendi pecuniam à se solutam in totum, vel in partem; item quia exactionis tempore regulariter subest mille tricis, laboribus, difficultatibus, ac etiam expensis pro credito exigendo; quæ incommoda, si à primis duobus præscindas, non sentit Mevius in

in casu. Ceterum si horum omnium periculum absit, neque tertius potest creditum minoris emere, ut colligitur ex S. Thoma loc. cit. necnon ex damnat. Propos. 41. Innoc. XI. & cum comm. probat Barthol. à S. Fausto de Empr. quæst. 31.

CAS. II. Fœmina inops sæpe vilia servitia præstat cuidam familiæ; cumque aliquando ipsi parum, vel nihil retribuatur, clam aufert modo panem, modo vinum, modo aliud quidquam, iudicio suo æquivalens merito servitutis. Q. an licite?

Respondeo negative. Si enim parum, vel nihil ipsi aliquando tribuitur, ut plurimum tamen solet ei tantum retribui, quantum non solum adæquat, verum etiam excedit meritum servitii plurium dierum; quo proinde fit, ut nullus labor ab ea impensus congrua mercede vacuetur. Ad demus, fœminæ id in casu non evenire; non per hoc ipsi licet modo exposito se compensare; siquidem, ut licita sit compensatio, inter alia requiritur, quod non pateat alia via mercedem suam commode habendi. Porro in casu patet fœminæ alia via, nempe illam petendo. Item non debet sumere æquivalens iudicio suo particulari; nam secus aperiretur via innumeris furtis, prout loquendo de Famulis salario conductis communiter notant scribes in 37. Proposit. damnat. ab Innocent. XI. cum privatum ac peculiare iudicium famuli, vel famulæ valde defectibile sit, ac deceptioni obnoxium in Domini detrimentum. Quare saltem ex hoc titulo, quod debitas condiciones non servet pro licita compensatione, fœminam in casu illicite se gerere, dicendum est.

CAS. III. Parochus, statim ac Medicus Infirmis Viaticum ordinavit, directe istos absolvit etiam à reservatis Pontifici. Q. an valide?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet Tridentinum sess. 13. cap. 7. præcisè asserat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuisse, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, nec verbum faciat de solo gravi mortis periculo, in quo solent Medici infirmis Viaticum ordinare, & quod aliquo modo differt à mortis articulo; nihilominus quia articulus mortis, & grave mortis periculum in casu nostro, ex communi Ecclesiæ usu, pro eodem sumuntur, prout ex cap. *Eos, qui de Sent. Excommuni* in 6. non obscure colligitur; ideo non solum valide, sed etiam licite Parochus directe absolvit etiam à reservatis Pontifici infirmos, queis Medicus, uti supponitur non imperitus, Viaticum ordinavit; nam omnes Sacerdotes, ut ait Concilium loc. cit. tunc quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt. Diversimode tamen sentiendum, si mortis periculum esset solum probabile, ut fuse ad doctè ostendit Beja patr. 3. cas. 8.

MENSE MARTII.

CAS. I. Sacerdos per bimestre substitutus à Capellano ad quotidie celebrandum pro Testatore, causa infirmitatis omisit sex, aut octo Missas. Hoc non obstante, præterit etiam pro his solutionem stipendii. Q. an æqua sit ista præteritio?

Res-

Respondeo negat. Ratio est, quia cum onus celebrandi, aut celebrare faciendi pro Testatore, adhæreat Capellano, & non Substituto, hic præstat nudum ministerium, ac ita se habet perinde, ac si esset dietim conductus ad celebrandum pro eodem Testatore, ut recte tradit Rosignol. de Euch. quæst. 13. art. 14. hinc sicuti dietim conductus pro aliquo opere, potest solum eam mercedem præterire, quæ correspondet diebus quibus posuit opus, præstitutum (quidquid sit, an aliis diebus omiserit opus ob infirmitatem, vel ob aliam causam); ita & Sacerdos dietim conductus ad celebrandum per Testatorem potest solum &c. Addo, quod quando Capellanus non tenetur oneri satisfacere per se ipsum, sed potest celebrare per alium, tunc si ob infirmitatem, vel ob aliud impedimentum ipse celebrationem omittat, & per alium non celebret, nequit accipere, aut retinere stipendium Sacrificiis omissis correspondens, ni suppleat Missas non celebratas, ut ex SS. D. N. Papa Benedicto XIV. & Fagnano adnotavi ad 1. Junii 1750. cum in tali casu intelligatur, Testatorem voluisse implementum oneris absolute, adeo ut ob impedimentum Capellani omitti non possit, cum per alium impleri valeat. Homobonus Exam. Eccl. part. 1. tract. 4. cap. 13. quæst. 122. Ergo multo minus illud præterire potest Sacerdos in casu. Vide Bonacin. de Euchar. quæst. ult. punct. 7. §. 2. num. 17.

CAS. II. Testator reliquit pro anima sua centum Missas, assignato pro qualibet duplici julio. Executor tamen testamentarius animo reputans se rem gratiorem illi facturum, si, absque majori hæredis gravamine, numerosiori suffragio illi succurrat, facit pro eo celebrare Missas biscentum stipendio unius julii. Q. an recte se gerat?

Respondeo negative. Cum enim Testator numerum Missarum, & stipendium earumdem expresse taxaverit, illius mens, ac voluntas absolute debet impleri, & tamquam lex observari; cum nullum ex una parte inde sequatur absurdum, ex alia majus stipendium conferat ad majus Testatoris suffragium; ut docet Franciscus Lugo de Sacram. lib. 3. cap. 12. quæst. 5. num. 50. Quare Executor testamentarius male se gerit illius dispositionem variando; præcipue cum isthæc variatio vergat in Celebrantium præjudicium, non sit ei à Testatore permissa, sitque aliquo modo contraria Decreto S. Congregationis Concilii sub Urbano VIII. quo præceptum fuit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elemosynæ præscriptæ fuerint à Testatore.

CAS. III. Pœnitens justa de causa dimissus inabsolutus, petit à Confessario schedulam peractæ ab ipso Confessionis. Q. an illi hanc facere teneatur?

Respondeo cum distinctione. Vel schedula potest illi denegari sine scandalo, infamia, & absque violatione sigilli; & in hoc casu dico, Confessarium non teneri illam, facere Pœnitenti; nam tunc neque iste jus habet ad illam, neque Confessarius ulla obligatione, aut aliquo gravi motivo urgetur ei cooperari occultationi pravi status ejusdem; maxime cum Pœnitens à semetipso se in hoc voluntarie potuerit, adeoque spectet ad ipsum invenire modum, quo suam pravitatem occultet. Bonacina de Pœnitentia disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. num. 7. Lugo quæst. 23. num. 87. aliique. Vel nequit illi denegari absque scandalo, vel infamia, aut sine violatione

Qq

si-

sigilli; & in hoc casu dico, Confessarium teneri schedulam facere Pœnitenti, quia scandalis est obviandum, & Sacramentale sigillum debet illæsum servari, necnon fama proximi apud adstantes; cum ad hunc finem Christus Dominus iniquissimo Judæ ipsammet Eucharistiam non denegaverit. *Diana* part. 5. tract. 11. resol. 22.

MENSE APRILIS.

CAS. I. **S**empronius in Confessione se accusat, quod in materia gravi de uno temere judicavit, & alteri grave malum desideravit. **Q. 1.** an sit necesse, quod exprimat quid, & de quali persona temere judicaverit.

CAS. II. **Q. 2.** an debeat explicare qualitatem mali, ac personæ, cui malum desideravit.

Respondeo ad 1. saltem per se loquendo, necesse non esse quod exprimat quid, & de quali persona temere judicaverit. Ratio pr. par. est, quia licet esse furem ex. gr. etiam in genere moris non sit idem, ac esse v. gr. adulterum, tamen in ordine ad iudicium temerarium qualitas rei iudicatæ de materiali se habet; hoc enim speciem suam ab eo desumit, quod interne injuste lædat bonam existimationem proximi, violetque jus, quod quisque habet, ne aliquis de ipso male sentiat sine sufficienti, & rationabili motivo. Unde cum tale jus, ac bona existimatio lædatur, sive quis ab alio temere judicetur adulter, sive fur, &c. ideo hujusmodi iudicia formaliter ac specificè non differunt, adeoque &c. quamvis ratione rei iudicatæ unum sit gravius aliud; nam magis & minus respectu iudicii non variat speciem. Ratio sec. par. est, quia de quocumque efformetur iudicium temerarium, semper malitia formalis huiusce peccati in eo sita est, quod interne injuste lædatur bona existimatio proximi, & jus, quod quis habet ad illam, donec non habentur iudicia sufficientia in contrarium. Hinc sicuti bona existimatio unius speciei non differt à bona existimatione alterius (idem dico de iure ad eandem); ita neque specie differt interna injusta læsio talis existimationis, ac juris, sive sit unius, sive alterius. Dixi ab initio *saltem per se loquendo*, eo quia nonnulli volunt contra Azorium part. 3. lib. 13. cap. 5. dub. 1. quod circumstantia personæ quandoque iudicio temerario addat diversam malitiam specificam: sic, inquit, quando est de Patre, addit malitiam contra Pietatem; ideoque in tali casu debet exprimi qualitas personæ. Vide Giribaldum de Pœnit. cap. 8. dub. 3. §. 2. num. 63.

Respondeo ad II. cum dist. Vel illi desideravit grave malum desiderio efficaci, vel inefficaci. Si primum; dico, Sempronium explicare debere qualitatem mali, ac personæ, cui &c. si qualitas personæ talis sit, ut in dicto sensu superaddat actui malitiam specie diversam. Ratio est, quia voluntas efficax fertur in malum desideratum prout est in se, & ab eo specificatur; propterea sive alteri grave malum desideravit in bonis corporis, sive in illis fortunæ, sive in eis famæ, sive mortem, sive ægritudinem &c. tenetur mali qualitatem exprimere una simul cum malitia specifica personæ (quatenus hæc illam addat), ut manifestetur peccatum secundum totum suum esse

for-

formale, ac specificum. Si secundum; dico, Sempronium non teneri explicare qualitatem mali, quia voluntas inefficax, prout est cum quis dicit: Vellem quod talis proximus periret; aut ægrotaret &c. non fertur in malum ut tale in specie, sed generice, quatenus est malum proximi, ejusque depressivum, in quo omnia ea mala conveniunt. Puteobonellus de Pœnit. quæst. 3. art. 4. n. 6. Quoad personæ postea qualitatem, eam tenetur etiam in hoc casu explicare, si hæc talis sit, ut superaddat illam diversam malitiam specificam; secus vero si è contra: nam in primo casu sine tali explicatione non manifestatur peccatum in omni sua specie, bene vero in secundo.

CAS. III. Confessarius justa de causa differt Absolutionem pœnitenti ad octo, vel decem dies. Hic tamen non reddit ad ipsum, sed alium convenit, penes quem integram Confessionem instituit. **Q. an** si hoc fiat absque rationabili motivo, vacet culpa?

Respondeo, id culpa non vacare. Ratio est, quia non est absolute liberum, ac licitum Pœnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, ac effugere iustum iudicium Sacerdotis, cui jam se subdidit, quique ei distulit Absolutionem ob rationabile dubium de ipsius debita dispositione; sic enim fit aliquis injuria Sacramento, ac Judici. Hinc Suarez de Pœnit. disp. 32. sect. 7. n. 4. & Duardus eod. tr. disp. 9. sect. 5. ob eandem rationem inquit non licere Pœnitenti, qui uni Sacerdoti se subiecit, ejus pœnitentiam alioquin congruam, & absolutionem recusare, ac alium adire; nam sic imperfectum relinquitur sine causa Pœnitentiæ Sacramentum, & iudicium jam ceptum: Adde, in communi sententia illicitum esse omittere sine causa satisfactionem, quamvis hæc spectet ad solam Sacramenti integritatem: ergo etiam illicitum dici debet sine causa omittere, id, quod complet, ac perficit Sacramentale iudicium.

MENSE MAII.

CAS. I. **C**ajus tradit Pastori quinquaginta Oves pascendas, & custodiendas, superaddito pacto, quod si aliqua ex ovibus pereat, utriusque pereat; si vero non pereat, sibi detur integrum Capitale, & postea fructus æqualiter dividantur. **Q. an** talis contractus sit licitus.

Respondeo, eum esse per se illicitum. Ratio est, quia cum Pastor oves, uti supponitur, Cajo non assecuraverit, nec earum fuerit ab illo factus condominus, justitia exigit, quod sicuti totum dominium ovium remanet penes Cajum, ita & penes ipsum stet omne periculum earundem; & sic si aliqua ex ovibus pereat, neque partialiter Pastori pereat, sed tota Cajo; siquidem omnia jura clamant, quod in hisce casibus, si res perit, Domino perit; & Pastor solum tenetur ad refectionem quando fuit in dolo, & culpa. Additur, non dari in casu æqualitatem in gravamine, prout requiritur ad hoc ut contractus sit licitus; nam Pastor adstringitur solvere medietatem ovis, sicuti Cajus, si qua ex ovibus pereat, & insuper illi adjungitur onus custodiendi, ac pascendi omnes oves sine ulla compensatione tanti gravaminis: ex quo patet manifeste injustitia contractus. Giribaldus de contr. cap. 12. dub. 6. n. 54.

Qq 2

CAS.

CAS. II. Perrexit Sejus Liburnum ad emendas merces pro Societate; ibi- que febrī apprehensus, per duos menses lecto decubuit. Q. 1. an expensæ factæ pro ejus curatione, spectent ad totam Societatem?

CAS. III. Q. 2. an ex expensis, ab eo factis toto absentia tempore, id detrahi debeat, quod domi suæ insumpsisset?

Respondeo ad primum cum dist. Vel ista profectio Liburnum ex verisimi- libus conjecturis fuit causa proxima talis infirmitatis; & tunc dico, expensas factas pro ejus curatione spectare ad totam Societatem; vel non fuit causa proxima &c. & tunc dico, expensas &c. non spectare ad totam Societatem. Ratio primæ partis est, quia cum in eo casu ipsa Societas fuerit causa profectio- nis, ex qua processit infirmitas, censeatur etiam causa ipsius infir- mitatis, ac expensarum pro Seji curatione factarum; quod enim est causa causæ, est causa causati ab eadem. Hinc sicuti spectant ad totam Societa- tem expensæ factæ pro ipsa profectio- ne, ita & quæ factæ fuerunt pro Seji curatione. Idem dic, si febris processisset ab extraordinaria Seji fatigatio- ne, cui subesse debuisset, ut rite perageret negotium Societatis. Ratio secun- dæ partis est, quia in eo casu Sejus censeatur quidem febrī apprehensus occasione rel agenda pro Societate; at non causa Societatis, vel rei ad ip- sam spectantis; prout recte distinguunt Bartholomæus à S. Fausto de Soc. disp. 7. quæst. 31. & alii passim. Hinc, secluso pacto ac consuetudine in contrarium, quibus indubie standum est in hisce contingentiis, in hoc se- cundo casu febris Seji creditur provenisse à naturali ipsius indispositione, & mala affectione personæ; proindeque aliud de jure prætereundum non potest, quam id, quod manendo domi suæ pro curatione non insumpsisset ut con- tra Molinam disp. 118 tradit Rosignolus de Soc. præf. 113.

Respondeo ad secundum, stando rigori juris, probabilius videri, quod id detrahi debeat. Ratio est, quia ex l. Si frater §. Si quis ex Sociis, ff. pro So- cio, in hoc casu ex tantum expensæ sunt Societati impurandæ, quæ factæ fuerunt causa negotiationis, & in ordine ad ipsam. En verba legis: Si quis ex Sociis propter Societatem profectus sit, veluti ad emendas merces, eos dum- taxat sumptus Societate imputabit, qui (nota) in eam rem insumpti sunt. Nec obstat, quod lex ibi immediate subdat; Viatica igitur, & minoriorum, & stabulorum, & jumentorum, & carrulorum vecturas, vel sui, vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium, recte imputari: Nam per viatica ibi ea intelligit, quæ in eam rem, hoc est, in ordine ad ipsam negotiationem Societatis, & causa ipsius fuerunt peracta, ut patet ex connexione horum verborum cum præcedentibus. Cum ergo ea, quæ domi suæ insumpsisset, insumpta à Sejo non fuerint causa negotiationis Societatis, aut in ordine ad ipsam, sed tantum occasione ipsius, ideo Societati debet quidem imputari illud plus quod domi non insumpsisset, cum profectio Liburnum sit vera causa ip- sius: non sic vero id, quod domi suæ insumpsisset, ut cum Navarro, Mo- lina, & aliis docet Rosignolus c. sup. cit.

CAS. I. A. Adolescens, emisso voto ingrediendi, ac profitendi in quadam Religione, solemniter ejusdem habitum induit, tempore ta- men Novitatus deprehendens ipsam, propter vitæ asperitatem, sibi esse parum accomodam, redit domum suam. Q. an licite?

Respondeo neg. cum S. Thom. 2.2. quæst. ultim. art. 4. cæterisque com- muniter. Ratio est, quia sicuti Votum emissum de ingressu in Religionem obligat ad ingrediendum, nisi ingressus fiat moraliter impossibilis; ita Votum emissum de faciendâ Professione obligat ad profitendum, nisi pro- fessio fiat moraliter impossibilis: gr. ex. qui nequit sustinere onera Religio- nis, & ratio vivendi in ea est ipsi adeo difficilis, ut illi reddatur intolerabilis. Atqui per hoc, quod ipsi erat parum accommoda, ipsi non erat, uti suppo- nitur, intolerabilis: ergo &c. Hinc Lessius lib. 2. de Just. cap. 41. num. 45. ait, quod qui vovit perseverare, seu profiteri in aliqua Religione, censeatur se obligasse quantum ferre moraliter potest. Nec aliquid eruitur in contrarium ex Tridentino sess. 25. de Regul. cap. 15. ibi enim non irritat Votum sim- plex profitendi, ac perseverandi in Religione, sed tantum Vota solemnia emis- sa ante annum probationis completum.

CAS. II. Puella per plures annos educata in Monasterio, foras egressa, sim- plici Confessario exponit, se, anno duodecimo nondum completo, obscenita- tes ibi fecisse cum Moniali, nec, præ rubore, umquam de hoc fuisse confessa. Q. an ab eo possit absolvi?

Respondeo plures affirmare: tum quia reservatio (ut declaratur in libello Casuum reservatorum hujus Diocesis §. ad omnes in genere) non compre- hendit nisi excedentes annum duodecimum, quem puella nondum com- plevrat quando peccavit; tum quia praxis, ac sensus Theologorum hujus Diocesis videntur esse, quod reservatio hujus casus non afficiat ipsas perso- nas degentes in Monasteriis, quæ ad invicem faciunt obscenitates, sed perso- nas extraneas accedentes ad ipsas, & cum ipsis eas deinde facientes. Verum quia de hoc sensu, & praxi, non satis constat, ac dictus paragraphus facile explicari potest, dicendo, quod reservatio utique non comprehendat nisi &c. si ante hujusmodi complementum etiam in confessione peccatum ex- ponant; secus vero si de illo confiteantur completo jam anno duodecimo; ideo ad casum respondeo negative cum Possevino de Offic. Cur. cap. 7. n. 49. Ratio est, quia in absolute reservationum respicitur tempus, quo datur absolutio; cum reservatio afficiat confessarium. Et sicuti si peccatum heri commissum, quando non erat reservatum, hodie reservetur, & pos- tea à poenitente exponatur in confessione, nequit hic à communi Confes- sario absolvi, utpote quia hujusce Confessarii potestas restricta est; ita &c.

CAS. III. Parochus acceptavit Parochiam animo eam postea resignandi cum pensione. Q. an sit simoniacus.

Respondeo negative. Si simul habuit animum eam resignandi servatis debi- tis modis, sine pactis pro pensione; cum resignatio prævia debita licentia, &c. Ratio est, quia nullibi ex una parte reperitur præceptum, quod pro toto vitæ tempore debeat, qui Parochiam acceptat, illam retinere; siqui- dem